



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

I. Chelidonium episcopus, quem Hilarius damnarat, retractato iudicio absolutus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

I.

Quæ igitur apud nos in causa Chelidonii episcopi gesta confecta sint, & quæ Hilarius dixerit, dum cum eodem, præfente supradicto episcopo, audiretur, inditus chartis rerum ordo demonstrat. Vbi postquam Hilarius rationale, quod in sanctorum Concilio sacerdotum posset respondere, non habuit, ad ea se occulta cordis ipsius transfulerunt, quæ nullus laicorum dicere, nullus sacerdotum posset audire. Doluimus fateor, fratres, & hunc eius mentis tumorem medelis patientiæ nostræ curare tentauimus. Nolebamus enim ea illi exacerbare vulnera, quæ suæ animæ insolentibus subinde sermonibus infligebat: & quem susceperamus vt fratrem delinire magis, quamuis ipse suis responsionibus innodaret, quam contristare nostris interlocutionibus nitebamus. Absolutus est Chelidonius episcopus, quoniam se iniuste sacerdotio fuisse deiectum, manifesta testium responsione, ipso etiam præfente, monstrauerat: ita vt quod Hilarius nobiscum residens posset opponere non haberet. Remotum est ergo iudicium, quod prolatum in hac sententia legebatur, quod tamquam viduæ maritus sacerdotium tenere non posset. Quod nos quidem seruantes legalia constituta sollicitius volumus custodiri, non solum circa sacerdotes, sed circa clericos quoque minoris officii, ne ad sacram militiam hi permittantur accedere, quibus sit tale coniugium, vt contra apostolicam disciplinam non vnus tantum vxoris viri fuisse monstrantur. Sed sicut eos, quos factum suum non potest excusare, aut non admittendos, aut si admissi fuerint, decernimus remouendos: ita quibus hoc falso obicitur, habita necesse est examinatione purgemus, & suum officium perdere non sinamus. Mansisset namque in illum prolata sententia, si obiectorum veritas extitisset. Redditus itaque est ecclesiæ suæ, & huic quam amittere non debuit dignitati, coepiscopus noster Chelidonius, sicut gestorum series, & post decursam cognitionem sententia, quæ a nobis est prolata, testatur.

II.

Huic negotio sic finito fratris & coepiscopi nostri Proiecti querela successit: cuius ad nos literæ lacrymabiles & dolendæ de superordinato sibi episcopo sunt directæ.

Concil. Tom. 7.

Cc